



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Septem Illustrium Virorum Poemata

Amstelodami, 1672

Virginii Caesarini Vita, Auctore Augustino Favorito.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11215

V I R G I N I I
C Æ S A R I N I
V I T A,

Auctore Augustino Favorito.

QUÆ de Virginii Cæsarini ingenio, moribus, studiis, disciplinâ, fortunâ, totoque vitæ cursu, non ab rumore vulgi, neque à Rhetorum laudationibus accepimus, sed à viris gravibus, & ab omni affectu liberis, qui adhuc supersunt, quique Virginium usu quotidiano cognitum habuerunt; ea nos, sicuti narrata acceptaque sunt, simpliciter, pro nostrâ & argumenti naturâ, fideliterque trademus.

Natus est Romæ, die xx. Octobris, anno M. D. xcv. patre Juliano, Civitatis Novæ Duce; matre Liviâ, Virginii Urfini filiâ. Utriusque autem parentis genus, generisque dignitas & potentia clariora sunt, quàm ut scriptoris operam, lucemque desiderent. Fratres habuit majores quidem natu, Joannem Georgium, qui patri in Ducatu successit, & Alexandrum, qui postea Cardinalis creatus est ab Urbano Octavo, minores autem, Ferrantem, utriusque Signaturæ Referendarium, ac Petrum, militem Hierosolymitanum. Propinquitatibus verò multis magnisque floruit, à matre præfer-
tim. Nam præter Urfinam gentem, Beatrix, Cornelia, & Catharina Liviæ sorores, nuptui traditæ, cum suis, tum suorum filiorum conjugis, Sfortias, Columnas,

Dd 3

Cor

Corneos, Pallavicinos, Malvetios, Altempfios, Cæfios, Borromæos, Madrutios, aliasque subinde veteres familias & locupletes comprehenderant. In Virginio igitur eximia ab ineunte ætate indoles, & ad studia literarum singularis alacritas apparuit: adeò ut Bonifacius Cardinalis Caietanus, acri vir, ut omnes sciunt, perspicacique iudicio, septennem adhuc puerum cum tractaret, ad omnia summa natum diceret, & incredibiles progressus in literis, si institutio accederet, augurari foret. Celebre est, ac pænè in consuetudinem proverbii venit, nihil Romanis pueris festivius, nihil elegantius fieri posse: promptos, sagaces, dicaculos, ingeniosos, ad omnia disciplinarum genera mirè factos videri: ubi adoleverint, concidere sæpè vim illam omnem, ardoremque animorum, & quasi Circeò aliquo poculo repentè mutatos, alios planè sensus, aliam sibi mentem induere. Verè id, appositèque dicatur; an à Transalpinis hominibus, vetere erga Romanos odio, falsò jactetur, nihil laboro. In Virginio certè aliter se res habuit, ut postea intelligemus. Novem fermè natus annos Parmam mittitur cum Alexandro fratre, quò procul à paternis deliciis, adeoque ab iis occasionibus, quæ mentes adhuc teneras, & ad magna surgentes plerumque enecant, intentiorem ad studia animum adjiceret. Antelata autem ceteris urbibus Parma, cum ob celebritatem illius Academiæ excellentibus in omni disciplina magistris, Ranutii Ducis operâ, florentissimæ, tum ob aviam Farnesiam: quo etiam nomine Ranutius venientem Virginium libenter domum suam recepit, & pro eâ, quæ intercedebat, conjunctione, benignè liberaliterque habuit, quoad eâ in urbe est commoratus. Mansit autem ibi quinque plus minùs annos: intra quod spatium non

non solum ea omnia arripuit, quibus ad humanitatem informari solent ingenui adolescentes; verum etiam totius Philosophiæ cursum confecit, præceptore Avanzino, qui Jacobi Zabarellæ in Gymnasio Patavino discipulus, Peripateticæ disciplinæ ludum in Parmensi aperuerat: tantâ quidem cum laude, ut condiscipulos & percipiendi celeritate, & disputandi solertiâ longo intervallo omnes anteeret. Nec institutum intereâ iter retardavit infortunium, quod illi accidit. Nam dum inter æquales in equestri ludo se exercet, (quod unicum habebat à studiis laxamentum) refractarius equus, cui erat impositus, juveniliter exultantem, & superbè nimis imperitantem excussit, adeòque graviter solo illisit, ut pluribus locis crurè confracto, præ dolore sensibus pænè omnibus destitutus, ultimum vitæ discrimen adiverit. Quem casum major etiam paulò post calamitas excepit, Chirurgi imperitiâ. Cùm enim post duos menses, quàm decubuerat, experiri vellet, an rectè adhuc consistere pedibus posset, adeò perperam ac distortè conglutinata tibia apparuit, ut eam denuò perfringere necesse fuerit, & in eum statum revocare, quo ante curationem fuerat, quò rectiùs convalesceret, accersito ab Iffæo usque lacu, in Venetâ regione, probatæ artis Chirurgo. Horret animus eos cruciatus cogitare, qui denuò tolerandi Virginio fuere; qui tamen illos eo animi robore tulit, eâque constantiâ, quam in viro confirmatæ jam ætatis & sapientiæ non requiras. Igitur, ut eramus aggressi dicere, tantum abfuit, ut proptereâ studiorum suorum cursum intermitteret, ut per totum illud tempus, quo in lectulo confixus jacuit, (jacuit autem integrum propè annum) nihil ageret aliud, quàm ut cum viris doctis sermonem de literis institueret, præcipuè verò cum

Patribus Soc. JESU, qui ei frequentes, & ad omnia prompti officium assidebant. Quorum quidem vivendi ratio & institutum adeò Virginio arriserant, ut non semel de illorum amplectendâ militiâ cogitarit: eamque animi illius propensionem perpetuam atque constantem postea aperuit ultima ipsius voluntas, qua Ignatiano habitu efferri se velle cavit in testamento. Ea curatio cum post mensem undecimum exitus tandem prosperos habuisset, eosque jam progressus fecisset in literis, quos operæ pretium esset in aspectum lucemque profere, Romam, ineunte adolescentiâ, Virginius revertit, ubi magnum sanè virtuti suæ theatrum invenit paratum. Nam ingens hominum animos cupido incesserat videndi comminùs, & periclitandi ingenii, de quo tam multa, tam præclara omnium sermone afferebantur: erantque non pauci, qui suspicarentur, in adolescentulo primariæ nobilitatis, & morum formæque elegantîâ commendatissimo, efferri plus æquo omnia: ita verò solere fieri, ut qui aliis in urbibus maximo in pretio essent, & laude ingenii ceteros mortales anteirent, Romæ ita decreverent, ut vix aliquo in numero haberentur. Virginius tamen adventu suo ita confirmavit rumores, qui de ipsius virtute atque ingenio percrebuerant, ut nihil jam in Urbe esset ejus nomine clarius; essentque in eum, tamquam in aliquem ex veterum annalium memoriâ, conversi animi & studia Civitatis. Sive enim privatis eruditorum colloquiis de re literariâ sermo esset; sive in scholasticorum, quos vocant, arenam descenderetur; magna ubique ejus doctrina, magnum acumen, & fertilitas ingenii eminebat. Hæc autem efficiebat etiam gratiora præter generis claritudinem suavitas oris, formæque dignitas. Quibus accedebat actio efficax, & sonus vocis elegans, &

& ad aurium voluptatem accommodatus; ingenuus prætereà quidam pudor, & candor animi, pari cum humanitate erga omnes, & facilitate naturæ. Nam ad id quidem quod pertinet, extat inter ejus scripta Satyra elegans, quâ acriter carpit, vel potiùs irridet nobilium quorundam inscitiam, qui existimationem dignitatemque nominis, quam solidis ornamentis, ac verâ virtute non possunt, ostentatione generis ac potentiæ, & insolentis animi fastu consequi volunt. Nec parùm momenti habebat ad plausum laudemque Virginio conciliandam senilis quædam in primo ætatis flore maturitas, non illa quidem austera ac tristis, (nam hilariora nonnunquam convivia & congressus amabat, eratque in jaciendo, mittendoque ridiculo perurbanus) sed quæ adolescentem deceret literis impensè deditum, & ab insitâ animi generositate, non fluxa & præsentia, sed ad memoriam illustria, & æterna respicientem. Ferunt, cum ab æqualibus ad insigne spectaculum invitaretur, quod totius Urbis concursu celebrabatur, se verò id facturum negasse, nec eo se crimine velle adstringere, ut quo temporis spatio posset Olympicis, Nemeæis, Circensibus ludis, & si liberet, etiam Floralibus, sine ullo incommodo aut strepitu, domi suæ interesse, mallet imperitorum artificum nugis, quantumvis sumtuosis, inter tumultus & vulgi angustias, oculos atque animum prostituere. Maximos prætereà clamores excitabat memoria, quâ ita Virginius pollebat, ut integras sæpè Scriptorum paginas, pro re natâ, recitaret; & ubi interesset publicis disputationibus, (intererat autem ferè quotidie, certatim invitantibus iis, quorum ea solemnitas erat, quò tanti Viri præsentia illustrior fieret) essetque vel elevandum ad versarii dictum, vel suum confirmandum, sexcenta Ari-

Dd 5

stotelis

stotelis loca proferret ex tempore, iisdem panè verbis quibus reddita fuerant ab interprete: nam Græca adducere, nec moris est apud nostros homines, & ipse (infinitum enim tenebo, nec alios patiar falsas Virginio laudes appingere) non nisi leviter attigerat Græcas literas. Itaque cum acerrimo ingenio parem memoriam, quod perrarò accidit, fortitus esset, & tempus omne, quod reliquum esset ab officiis ad tuendam vitam necessariis, tereret in commentationibus, & tractatione librorum, brevè omnis reconditæ exquisitæque doctrinæ scientiam ita comprehendit, ut admirationi esset universis, nec jam se intra Italiam contineret illius gloria, sed mare & Alpes prætervecta, longè se ad ultimas terras, latèque diffunderet. Cardinalis quidem Bellarminus (quem virum parùm consideratè quicquam, aut ad assentationem dixisse vel fecisse umquam, nefas esset suspicari) solitus erat dicere, videri sibi Virginium alterum Picum Mirandulanum, eum qui ob excellentiam ingenii, & doctrinæ, phœnix est nuncupatus. Quod sanè dictum & probabatur in vulgus, & utriusque genus, mores, formam, ingenium, studia, exitum ipsum vitæ ex æquo comparanti haud multum absonum à vero reperitur. In cuius rei fidem subjicimus numisma, ex unâ quidem parte duobus phœnicibus insculptum, ex alterâ verò totidem imaginibus affabrè ductis, & extantibus; quarum prior Joannem Picum, Virginium Cæsarinum altera referebat.

Idem



Idem Cardinalis Virginius auctor fuit, ut tantam rerum optimarum scientiam, ingeniique præstantiam, quæ sibi divinitus contigisset, ad ipsius Dei gloriam, & generis humani fructum conferret, scribendo librum, in quo uberioribus argumentis, quàm ceteri fecissent, magisque ad sensum permanantibus, omnem dubitationem tolleret de immortalitate animorum, ad revincendam illorum pertinaciam, qui sacrarum literarum testimonio hac in re minimè acquiescerent. Et sanè multa in id argumentum Virginius jam collegerat, colligebatque in dies, quò omnia suo tempore rectè & ordine digesta luculento volumine complecteretur; nisi præmatura postea mors egregium Opus, quemadmodum alia multa quæ moliebatur animo, interceptisset. Inter hæc non neglexit Juris quoque scientiæ, cujus Consultus fuerat Parmæ solemniter appellatus, operam dare, coacto etiam stylo, quo ceteroqui castigato utebatur, accommodare se formulis corruptæ Jurisprudentiæ. Verumtamen longè major illum voluptas ad mitia Musarum studia, & flagrantior cupido rapiebat, hominem præsertim non tam honorum & potentiæ, quibus vulgares animæ usque ad
in-

infantiam capiuntur, quàm laudis & gloriæ, quâ magne mentes & erectæ in primis ducuntur, appetentissimum. Quamobrem, valere tandem iussis leguleiorum forique clamoribus, iterùm se liberalioribus literis totum tradidit, Theologicis præsertim, ac Philosophicis: quarum primas cum sacræ historiæ, Canonum, Conciliorum, ac Patrum cognitione conjunxerat; in ultimis verò, Doctore & Magistro Avanzino, de quo suprâ memoravimus, ita usque ad illud quidem tempus Peripateticorum sectæ adhæserat, ut ab eorum placitis vel latum unguem discedere religio illi esset. Verùm ubi versari familiaris cœpit cum Federico Principe Cæsi, ejusque auctoritate & consilio in amicitiam se dedit Galilæo, Joanni Campolo, aliisque ejus disciplinæ hominibus, qui è cælo se devocasse gloriabantur veram ac germanam philosophiam, hoc est, aliam planè ab eâ, quam Aristoteles tradidisset; primò quidem oblectari acriter eorum dictis, deinde ubi quotidianus sermo argumenti insolentiam cicuravit, haud gravatè aures, postremò etiam manus dedit. Itaque veteris militiæ desertor & transfuga, ut sunt juvenum ingenia cupida rerum novarum, transitum fecit ad castra Lynceorum, (id nomen Academiæ fuit) quorum erat institutum inusitata rerum eventa, quæ terris, quæ cælo acciderent, in disputationem vocare, causas sedulò indagare, & eorum observationibus, aliisque experimentis, veterem omnem philosophiam, Aristotelicam in primis evertere. Ex eo numero qui esset, quasi familiæ suæ tesseram ambitioni vocabuli convenientem, gestabat digito anulum, lynce insculptum, quo significabatur, esse eos in rimandis naturæ arcanis perspicacissimos. Hæc porrò Academia auctoritatem habuit eum, quem diximus, Federicum Principem.

Cæſium, literarum amatorem potius, quam peritum; mansitque tamdiu, quamdiu vixit auctor suus, qui illam quasi fatam à se arborem omni officio industriâque colebat. Verùm eò mortuo, cùm Academici nullas haberent certas sedes, nec ceterarum Academicarum morem sequerentur, statis diebus in unum conveniendi; sed unico nominis splendore, & annuli mysterio omnis eorum disciplina contineretur: brevi Lynceorum memoria ita extincta est, ut eorum ad ætatem hanc nostram vix tenuis aura pervenerit. Præter Galilæum, & Ciampolum, coluit quoque Cynthium Clementem, eidem sectæ addictum, & insignem eâ tempestate Medicum. Ab eo Virginus Chimicis sacris initiatus, versari cœpit attentius in ejus artis experimentis, quibus præcipuè Aristotelis fundamenta convelli putabant. Eaque ipsa experimenta convertit postmodum à destruendis Peripateticorum placitis ad fulciendam valetudinem suam, quæ jam & assiduo labore in studiis, & habitu corporis gracili propensoque ad maciem, in deterius quotidie prolabebatur. Verùm hic quoque conatus, sicut alia multa quæ periclitatus fuerat medicamenta, irritus fuit, in dies magis magisque superante vi morbi. Cujus rei cùm omnem culpam (vicio generis humani) conferret in incitiam Medicorum, invehi vehementer eâ occasione solitum ferunt in insaniam temporum nostrorum, quibus ars illa, cui valetudinem nostram vitamque credimus, tamquam humilis & plebeia, digna judicaretur, in qua illi fermè elaborarent, qui nullas vererentur violare majorum imagines, quique tenuitate plerumque rei domesticæ, prohiberentur operam dare studiis ac disciplinis ad eam probè tractandam necessariis; instrumenta fundi, pascua, nomina, supellex, à viris honestissimis, patriciusque

ciisque vendicarentur. Igitur cùm alterius cæli prædium, reliquis omnibus frustrâ consumtis, expensâ constituisset, Bononiam iter intendit, non quòd situm illius urbis maximè opportunum duceret valetudini suæ, placidum alioqui temperatumque cælum desideranti; sed quòd in Bononiensi Gymnasio mereri stipendia dicerentur Medici præstantissimi, nec deessent literati viri, sine quibus, ut cætera adessent omnia, videbatur sibi Virginius in solitudine luctuque vivere. Sed interceptus in itinere ab amantissimo sui Principe Cæsio, Aquaspartam Cæsiae gentis oppidum propè Spoletum divertit, mansitque ibi aliquot dies magnâ, quantum quidem per invaletudinem licuit, cum voluptate. Quippe Federicus, quò libentiozem illic Virginium retineret, Bononiâ accerferat, præ cæteris, Claudium Achillinum, Philosophum ac Poëtam, opinione quidem omnis Cisalpinæ Galliæ maximum, & Petrum Poterium rei Chymicæ egregium artificem, quibuscum alternas horas hilarè ac jucundè transigebat. Ac brevî tantùm de veteri suâ sævitiâ morbus remiserat; ut vox etiam, quam pietuitæ, vel alteriùs cujusvis humoris defluvio, ulceratæ fauces, jam olim intercluserant, ad officium rediret, ut Elegiâ quâdam ad Cynthium Clementem sibi ipsi effusè gratulatur. Nam ceteris ejus virtutibus non levi ornamento erat mira indoles, & dexteritas ad Poësim, præcipuè Latinam, in quâ Tibullum, Propertiumque, eruditorum judicio, feliciter expressit elegiaco carmine. Italicis etiam numeris se exercuit, adductus consuetudine Joannis Ciampoli, qui eo præcipuè ornamento aditam sibi ad laudem, & ad potentiorum limina patefecerat. Sed quamvis Virginius profiteretur maximè omnium præcipuè sibi Ciampoli venam & characterem; longè tamen

viã

viâ uterque illorum ibat ad carmen. Virginius æquabile & temperatum sequebatur scribendi genus, perspicuum, grave, simplex, quòd seriò rem ageret, & in quo Latii veteris incessum facilè agnosceres; in Ciampolo liber spiritus, nova omnia, concitata, grandia, inaudita, plena periculi & audaciæ, ad Pindarum aspirantis, quæ propterea omnem ad se raperent admirationem theatri. Quam scribendi rationem perperam imitati postea, qui se Pindaricos dici volunt, in tam absurdos errores inciderunt, ut ex plurimis, quæ aliquot ab hinc lustris irrepsertunt in Rempublicam literariam hærefes, nulla, ut viri quidem sapientes judicant, foediùs Italicæ juventutis ingenia corruperit. In his, quæ scripsit maternâ linguâ, multa reperiuntur etiam amatoria, satis pro argumento verecunda & sobria: quæ tamen Auctor postea improbavit, tamquam imbecillâ adhuc ætate scripta: & superat eorum numerus, quæ hominem philosophum, & à vulgi erroribus alienum magis deceant, quæque Christiano Poëtâ digniora videri possint. Quâ etiam in re secutus est Ciampoli auctoritatem, suadentis, honestissimam secum provinciam susciperet, ad meliorem frugem moresque revocandi Etruscas Musas, quæ nonnullorum vitio, nihil jam sancti aut casti haberent, sed cujusvis è vulgo libidini prostitutæ in obscænis tantum & procacibus argumentis occuparentur. Virginius itaque à juvenili licentiâ ad graviora stylo converso, moralis Philosophiæ præcepta, quod nemo adhuc ante ipsum ex proposito fecerat, aggressus est carminibus tradere, ut etiam profiteretur Ode illâ, quæ Procæmium inscribitur. Et quia ad informandos optimis moribus animos duplici præcipuè viâ ac ratione niti oportet; ad honesta videlicet incitando illos, & revocando à turpibus;

utram-

utramque Virginius complexus est: illam quidem pluribus Odis (cantiones nostri vocant) ad varios amicos scriptis; hanc verò nonnullis Satyris Luciliano aceto perfusus, in quibus ætatis suæ vitia perstrinxit acriter: quandoque etiam personis potentiâ vel dignitate illustribus, quâ erat animi libertate ac spiritu, in os involare non dubitavit; sed animi tantum gratiâ, & experiundi eo in argumento ingenii, non quòd ulli mortalium inuri notam suis carminibus vellet. Ceterum quòd fidelio-rem literis suis operam daret, in superiorem paternæ domûs contignationem secesserat. nec eò quemquam ferè admittebat, præter illos, qui pari erga Musas animo essent, paribus studiis ducerentur. Hos enim ad se venientes omnibus humanitatis officiis excipiebat: cum his differere, lectitare, convivari, deambulare, dies integros commorari: cum eisdem communicare lucubrationes suas, impensè prius rogatis, diligenter animadverterent, & si quæ minùs probarent, atroci stylo effoderent. Quorum quidem nonnullos alienâ ope & præsidio indigentes aluisset etiam domi suæ, ut solebat sæpè desiderare, si per tenuitatem rei domesticæ licuisset. Verùm cum bonorum paternorum summa, unâ cum Ducatu Civitatis Novæ in Picenis, aliisque in agro Latino oppidis, ad grandio-rem natu fratrem, more apud nobiles familias recepto, pervenisset; ipse tertio loco genitus eam pecuniam annuatim percipiebat, quæ cum per se ipsa satis exigua erat, tum verò parùm attentè administrata, (ut ii faciunt, quibus seridò occupatis in studiis literarum ingrata omnino atque odiosa accidere solet rei familiaris procuratio,) ægrè in annuos sumtus suppeditabat. Quò fiebat, ut gravi se nonnumquam ære alieno obligaret; quod postea Dux ipse ad arcendam notam, quæ

quæ in se etiam redundasset, molesto quidem animo, sed exsolvebat tamen. His angustiis ut obviam aliquando iret, litem cum eodem Duce instituerat, quâ petebat, ut liberalior sibi in singulos annos pensio decerneretur, prout ultimis illis temporibus major facta fuisset accessio ad patrimonium Cæsarinæ familiæ, ad cuius facultatem respexissent Majores sui, cum secundo loco genitis annuos præscriberent redditus. Sed Mapheus Cardinalis Barberinus, quem ingenii ac studiorum similitudo Virginio, quamvis longè natu minori, familiarissimè conjunxerat, ei persuasit, ut omni contentione sublatâ, quietè cum fratre & concorditer viveret; quòd ita deceret præclarum virum, eaque esset certior ratio extorquendi ab illo pecuniam. Eo interim in otio, & quasi malaciâ literarum, non licuit Virginio diutiùs vivere, ipsum inter Cubicularios intimos cooptante Gregorio XV. operâ Joannis Ciampoli, qui Pontificio nomine exarabat epistolas ad Principes. Is ubi ad illum honoris gradum est admotus, nihil habuit antiquius, quàm ut significationem aliquam Virginio daret grati animi, & beneficiorum memoris, quæ plurima ab eo, insigniaque acceperat. Erat Gregorio à Secretis, in iis quæ ad statum curamque Reipublicæ pertinent, adeòque non mediocri auctoritate & gratiâ in aulâ florebat Joannes Baptista Agucchius Bononiensis, vir cum ceterâ clarus, tum verò scribendi Italicè, & rerum per literas gerendarum laude clarissimus. Ejus commendatione Ciampolus sicut ipse in eum locum pervenerat, ita facilè est consecutus, ut Virginus ad eum, quem diximus, honoris gradum ascenderet. Sunt qui credant, Virginium, ubi primùm in Palatium pedem intulit, veteris instituti oblitum cogitare cœpisse de antevertendâ Purpurâ Alexandro fratri, cui quamvis

E c

tenuo-

tenuioris ingenii homini, tamen uti & natu grandiori, & aliquot jam annos constituto in publico munere, deberi potius is honos videbatur: tantumque brevi vel suâ industriâ, vel amicorum ope profecisse, ut cum Gregorius lento quidem, sed gravi conclamatoque morbo implicaretur, ad illustrandam præclaro aliquo facinore memoriam extremi temporis, de Virginio Cardinali creando in primo conventu Senatûs, unâ cum duobus aliis viris ornâtissimis, Agucchio ipso, & Angelo Cæsio, confilia inirentur; quæ tamen Pontificis mors citius, quàm credebatur, consecuta discusserit. Alii verò postremæ quidem parti assentiuntur: quòd verò pertinet ad præripiendum fratri honorem, commentos fabulam putant aulicos homines, Virginium non ex ipsius virtute & altitudine animi metientes, sed ex moribus, & naturâ imperitæ multitudinis, quæ adduci numquam potest, ut minimè credat insanire eos homines, qui nihil ducunt præclarior vitâ rectè sapienterque traductâ. Adduntque, Virginium non repugnantem potius, quàm volentem pertractum fuisse in Aulam Pontificiam, clamante subinde Ciampolo, indignum esse viro magnanimo, præsertim philosopho, cum scias humanam societatem mutuis officiis contineri, nullam velle Reipublicæ partem attingere; cumque literarum adeò sis amans, occasiones averfari illas, quibus literæ poliuntur: non præmittendam opportunitatem juvandi amicos, & industrios homines, nec ea munera recusanda, quæ, nisi à probis viris sapientibusque occupentur, improbis & injustis, magnâ cum Dei offensione, Reique publicæ incommodo, sint committenda. Mortuo Gregorio, & in ejus locum Urbano Octavo Pontifice renuntiato, statim ejus Cubiculo Virginius præficitur: idque tribuisse Urbanum opi-
 nio

nio fuit, non tam veteri benevolentia, quam ejus indolem ab ineunte adolescentia complexus fuerat, quam recentibus ejusdem erga se meritis. Cum enim Mapheo Cardinali Barberino dudum subirati Hispani essent, suaeque erga illum voluntatis non obscuras dedissent significationes; ægrè illi, ut existimare quivis facile potest, ad Summum Pontificatum aditus patuisset, nisi Virginius à Francisco de Castro Regis Hispaniarum ad Pontificem Oratore, & Didaco Saavedra, qui consiliorum omnium Francisco particeps erat, sæpius urgendo impetravisset, æquiore in tantum Virum animo esse vellent, & auctores fieri, ut is cum Rege Catholico in gratiam rediret. Jam olim enim Virginius, manucentibus literis, & re Poëtica; insinuaverat se in utriusque illorum familiaritatem, quemadmodum etiam Mapheo egregiè conciliaverat Gasparem Cardinalem Borgiam Hispanicæ factionis moderatorem ac ducem, qui quamquam durior ad hæc studia videbatur, facile tamen suavitate morum Juvenis nobilissimi, & miræ in tractandis conciliandisque animis dexteritatis ita captus est, nihil ut esset, quod non ejus causâ faceret libentissimè. Certè si in Pontificibus creandis quicquam humanæ opi tribuere fas est, ac non potiùs sola tam arduo in opere & sacrosancto Voluntas Divina dominatur, egregiè meritis de Urbano Octavo Virginius eo facto videri potuit. Ad eum tamen fortunæ gradum tantam animi æquitatem & modestiam attulit, ut eorum qui apud Urbanum aliquo loco essent, nemini minùs licere videretur: tantumque absuit, ut eos imitaretur, qui ad potentiam opesque ex insperato evecti efferuntur fastidio quodam & contumaciâ; nullum ut suaviorem ex eo loco fructum percipere se fateretur, quàm sublevandi veteres amicos, eos præcipuè, qui

destituti re familiari, ingenio, & literis abundarent. Itaque brevi illo tempore, quo in eâ dignitate vixit, eorum quàm plures, prout cujusque conditio ferebat, aut in familiis virorum Principum, aut honesto aliquo in munere collocavit. Aliquos etiam apud se retinuit: in his Augustinum Mascardum, quem Parmæ cognitum, hospitibus & contubernalis loco habebat; & Franciscum Balduccium, cujus operâ utebatur in scribendis epistolis, virum ad Poësim omnino factum, si acrioris limæ labor, & uberior cognitio artium optimarum ad ejus ingenium accessisset. Alios verò, qui cum nihil domi pingue haberent præter ingenium, inani tamen scientiæ opinione inflati, sæculum incufabant, ut ferè fit, quòd jacere literas pateretur, molliter atque urbanè admonitos erroris, in quo erant, hortari solebat, relictiis studiis literarum, aliam omnino artem magis accommodatam humeris suis, aliud vitæ genus aggredierentur. Eaque Virginii libertas meliora suadentis, multis, qui nullam in tanti Viri dictis subesse fraudem poterant suspicari, salutis fuit. Tam illustri loco positum Virginium, cum publica expectatio, tum verò Urbanus ipse Purpuræ destinabant. Verùm quod illi aliena mors paulò antè abstulerat, sua tunc abstulit. Nam intra vertentem annum, ex quo Pontificio Cubiculo præerat, extremâ jam macie confectus, fato, quod jamdiu forti erectoque animo opperiebatur, tandem concessit, Kal. Aprilis, anno M. D. C. XXIV. Constans autem opinio fuit, mortem illi maturavisse Præfecturam Cubiculi, cui ut frequens adesset, adeòque palàm Pontifici faceret, se integras ad Purpuram vires allaturum, affecto corpori, & quietis indigenti minimè parceret. Virginii quidem mortem adeò graviter tulisse fertur Urbanus, ut per ali-

aliquot dies, ubi de illo mentio incideret, lacrimas non haberet in potestate: & cum Alexandrum Virginii fratrem Cardinalem creavit, professus sit, se potius Virginii memoriae, quam Alexandri promeritis illum honorem tribuere. Quam carus autem Civitati fuerit, mœrore funeris indicatum est. Senatûs enim, Populique Romani decreto, in Palatio Capitolino statua illi posita est, doloris publici testis, cum inscriptione Joannis Ciampoli:

V I R G I N I O
C Æ S A R I N O
QUIRITIUM SAPIENTISSIMO,

CUI TANTA INGENII VIS,
UT DOCTUS ETIAM HABERI POSSET
SINE LITERIS;
TAM AMPLA LITERARUM SUPPELLEX,
UT ADMIRATIONEM MOVERE POSSET
ETIAM SINE INGENIO:
QUEM TAMQUAM URBIS MIRACULUM,
ET NOBILITATIS ORNAMENTUM
TUM INDIGENÆ, TUM CONVENÆ PHILOSOPHI,
POETÆ, ET RHETORES INVISEBANT,
SUA QUISQUE DECORA
IN HUMANISSIMO MŒCENATE MIRANTES:
CUJUS JUVENTUTI
PERTINAX DOCTRINARUM STUDIUM
SENILIS PRUDENTIÆ
GLORIAM COMPARAVIT,
JUVENILIS VALETUDINIS ROBUR ERIPUIT,
QUI FACTUS ADOLESCENTIBUS
EXEMPLAR VIRTUTUM, ET PARENTIBUS
MENSURA VOTORUM,

Ec 3

NON-

NONDUM TRIGESIMUM ANNUM INGRESSUS
 MORTEM OCCUBUIT IN VATICANO,
 SAPIENTIUM LUCUBRATIONIBUS,
 ET PRINCIPUM LACRYMIS ILLUSTREM:
 CUI PONTIFICII CUBICULI PRÆFECTUM AGENTI

URBANUS VIII.

ECCLESIASTICÆ PURPURÆ DECUS
 A PRÆPROPERA MORTE
 EREPTUM FUISSE CONQUESTUS EST:
 EIDEM PUBLICIS EXEQUIIS COHONESTATO

S. P. Q. R.

ANNUENTE PONTIFICE,
 INTER TRIUMPHALES DUCES IMAGINEM
 ET MONUMENTUM DECREVIT,
 NE MINUS LITERARUM GLORIA,
 QUAM ARMORUM,
 CAPITOLIUM DECORETUR.

Apparatissimo funere elatum ad D. Mariæ de Arâ
 cæli, Alexander Gothifredus S. I. Patritius Romanus
 pro concione laudavit. Humoristarum item Academia
 Virginio (qui honos, ex instituto illius loci, viris tan-
 tummodò famâ ingenioque maximis haberi solet) iusta
 persolvit, Augustino Mascardo clari jam tum nominis
 Oratore verba faciente. Cujus Oratio excepta de more
 est à Poëtarum carminibus, quorum magna pars ere-
 ptum sibi Mœcenatem suum certatim dolebant, veroque
 luctu, non ad ostentationem ingenii simulato, funus pro-
 sequebantur.

VIR.